

positio talis legis debita est ex vi creationis, et impositionis legis naturalis, alioquin si ei non promulgaretur, nec peccaret contra illam, si quidem non haberet sufficientem illius promulgationem, et auxilium ad implendum illam, sed promulgatio, et propositio legis fit media cognitione, et cogitatione, quæ sine dubio sancta, et honesta est, ergo. Consequentia patet, quia nulli formæ, vel naturæ debitum est sufficiens principium ad operandum, et indebitum omne auxilium congruum ad operandum de facto, quia inde est indebitum, quia est præter concursum ordinarium, quod auxilium sufficiens, principium, et forma potens operari aliquando de facto operetur, non est præter concursum ordinarium, nisi taliter impediatur, quod ad tollenda impedimenta sit necessarium auxilium extraordinarium, ergo sine gratia speciali voluntas habens sufficiens auxilium, de facto habebit efficax, nisi ratione alicujus impedimenti per accidens indigeat extraordinario concursu, non tamen ex vi naturæ contingentis præcise.

XVII. Denique tertium quod proposuimus contra sententiam patris Vasquez, scilicet quomodo maneant vires, voluntate posita in tentatione, explicandum est, advertendo aliquas tentationes esse leves, scilicet quæ non sunt supra id quod possumus, alias esse graves, scilicet quæ superant vires nostras, et regulariter tentatio demonis est gravis, quia potestati ejus potestas nostra comparari non potest, aliæ vero tentationes aliquando leves sunt, aliquando graves, secundum vehementiam qua proponuntur. Victoria autem istarum tentationum aliquando fit proventu, et fructu spirituali, scilicet conducente ad salutem, aliquando sine illo, quod totum explicat Apostolus i Corinth. x dicens :

Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere. Ubi indicatur tentatio gravis, scilicet quæ est supra id quod possumus, et contrario sensu levis est illa, quæ non est supra vires nostras, et tentatio faciens proventum, scilicet humilitatem, et ut D. Thomas super eundem locum explicat, est quæ conducit ad sustinendum. Constat ergo quod tentatio levis non exhaurit vires, et potentias ad resistendum, quia non est supra id quod possumus : unde si relinquit vires ad resistendum proportionato objecto, est ut vincat, quia victoria semper fit a proportione majoris virtutis : quod si proportionatum objectum est ; ergo et debitum debito proportionis ut saltem aliquando vincat, juxta naturam causæ contingentis : ergo non minus sufficiet concursus generalis ad istas tentationes vincendas singillatim, et divisim, quam ad faciendum aliquod opus bonum morale. Ad vincendam autem totam collectionem tentationum etiam levium requiritur auxilium speciale, quia tota collectio fit gravis ad vincendum propter continuationem, et perseverantiam quam includit tota collectio tentationum ; operari autem perseveranter, et continue opus bonum, ad sanitatem pertinet, non ad infirmitatem.

XVIII. Quod si inquiras, quæ sint istæ vires, quas relinquit tentatio levis, et superat tentatio gravis, de hoc respondetur articulo secundo. Sufficit nunc dicere, quod cum tentatio sit propositio alicujus objecti allicientis, et attrahentis voluntatem, solum opponitur propositioni objecti convenientis oppositi : unde solum enervat illas vires quas voluntas sumit ex objecto convenienter proposito, et affectu circa illud : unde tota vehementia tenta-

tionis in hoc consistit ut non sinat apparere, et considerari objectum conveniens, ut possit voluntas illi resistere, mota et tracta ex objecto convenienti. Unde dicitur in Psalmo nono de illo qui peccat: *Auferuntur judicia tua a facie ejus*, scilicet beneficia Dei a mente, et a memoria, ut explicat D. Thomas super eundem psalmum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIX. Ad fundamenta Gregorii manifeste patet ex dictis, refutando ejus sententiam. Ad fundamenta patris Vasquez, ad primum de ratione indebiti, sæpe dictum est : et in summa resolutio consistit in hoc, quod licet ipsi creationi sumptæ præcise pro prima productione rei, non sit debitum auxilium seu concursus ad hoc objectum potius quam ad illud, tamen creationi sumptæ pro institutione, et conservatione naturæ secundum concursum ordinarium, debitum est, quod aliquando detur concursus ad bonum, saltem debito proportionis, licet non necessitatis, et quamvis non sit debitum omni individuo, tamen est debitum ipsi naturæ secundum se, hoc enim exigit natura contingens ut non semper deficiat, nec eodem modo operetur, et sic non est indebitus omnis concursus ad bonum ; ut autem sit specialis gratia debet esse omnino indebita, et supra cursum humanæ naturæ.

XX. Ad secundum fundamentum respondetur primo, quod etiam beneficium generale cadit sub oratione, et gratiarum actione, quia datur sine debito necessitatis, licet cum dubio proportionis, et ratione primi potest peti tamquam beneficium, et ratione secundi non est specialis gratia. Secundo dicitur, quod fideles possunt orare pro quocumque

bono opere, quia debent referre quodlibet opus bonum ut conducit ad salutem, et ad finem supernaturalem, et hoc modo exigit specialem gratiam, sed hic non loquimur de hac formalitate quatenus conducit ad salutem, sed quatenus sistit in bonitate naturali.

XXI. Sed instat pater Vasquez disp. cxc, cap. xi, quia omne opus bonum morale conducit ad salutem hoc ipso quod bonum morale est, nam apud patres solum duo genera operum inveniuntur, quædam quæ solum spectant ad utilitatem hujus vitæ, et quasi carnalia vocantur ; quædam quæ pertinent ad veram pietatem : sed opera bona moralia, de quibus hic, non pertinent solum ad commodum vitæ præsentis, alioquin essent opera damnationis, et pænæ : ergo pertinent ad veram pietatem, pietas autem ad salutem utilis est : ergo, etc.

XXII. Respondetur negando antecedens. Ut enim aliquod opus conducatur ad salutem non sufficit quamcumque honestatem habere, sed aliquo modo ordinari ad finem supernaturalem : unde dicitur Matth. v : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Pharisæorum, et scribarum, non intrabitis in regnum cælorum.* Aliqua ergo justitia datur non pertinens ad regnum cælorum, scilicet justitia non abundans. Et Augustinus libro primo ad Simplicianum, quæst. ii circa finem, loquens de his quæ in natura sunt ante electionem gratiæ, et ad gratiam non conducunt, dicit solum inveniri : « Vel majus ingenium, vel minora peccata, vel etiam honestas utilesque doctrinas, » aliqua ergo honestas dari potest sine gratia, et ad gratiam non conducent, sicut in gentili faciente aliquod opus virtutis acquisitæ sine cognitione, et relatione ad finem supernaturalem, sic enim non conducit ad salutem, quia : *Sine fide*

impossibile est placere Deo, et tamen tale opus non dicitur carnale, quia non habet pro fine commodum huius vitæ, sicut requiritur ut aliquod opus sit carnale, et damnationis, sed habet pro fine honestatem operis licet ad pietatem supernaturalem non pertineat.

XXIII. Ad tertium fundamentum ex dictis patrum et Conciliorum, in primis loca omnia quæ afferuntur nimis probant, sancti enim loquuntur contra Pelagium quando dicunt nulla opera bona fieri posse a nobis sine Dei auxilio, cum autem nostra sententia libera sit ab isto errore, consequenter non militant contra illam loca patrum quæ afferuntur: esse autem liberam ab illo errore constat ex determinatione sedis apostolicæ, quæ inter articulos Michaelis Baii damnavit illos qui aliqua censura notabant nostram sententiam, sive quoad opera bona faciendâ, sive quoad tentationes vincendas, ut patet in propositionibus xxix et xxx. Quare cum damnatum sit affirmare quod nostra sententia est error Pelagii, consequenter auctoritates sanctorum, et Conciliorum quæ contra Pelagium loquuntur in illis propositionibus universalibus, contra nos induci non possunt.

XXIV. Et prætera respondetur solutione D. Thomæ quæst. xxiv de veritate, art. xiv in fine: cum enim proposuisset plura argumenta ex auctoritatibus, quæ ostendebant sine gratia non posse hominem facere aliquod bonum opus, brevissime sic respondet: « Ad ea vero quæ sunt in contrarium patet solutio, quia vel procedunt de bono meritorio, vel ostendunt quod sine operatione Dei, homo nullum bonum opus potest facere. » Ita D. Thomas. Quia solutione omnia loca allata a patre Vazquez explicantur, regulariter enim loquuntur sancti de opere bono me-

ritorio, id est, conducente ad salutem, vel initiante justificationem, de aliis autem bonis quæ ex sola lege naturali fiunt, non loquuntur: si vero aliquando ista particularia bona etiam tribuunt auxilio divino, et præsertim quando dicunt, quod si nobis relinquimur, semper peccamus. Tunc secunda solutione occurrimus, scilicet quod loquuntur sancti de auxilio generali, quod D. Thomas vocat operationem Dei, quæ est auxilium gratiæ generalis, non specialis. Quando autem docent Concilia, et patres contra Pelagium, ut fateatur gratiam Dei ad singulos actus dari, non est sensus requiri gratiam specialem ad quemlibet actum, sed cum Pelagius intellexeret nomine gratiæ non illud quod datur ad unumquemque actum, sed quod pro pluribus actibus deservit, dicebat enim gratiam esse ipsam creationem naturæ, et liberi arbitrii, et ipsam legem quæ data est a Deo, quæ utique non ad singulos actus datur, ideo ad tollendam æquivocationem huius nominis gratia, voluerunt patres ut fateretur Pelagius non gratiam absolute, sed gratiam quæ requiritur pro unoquoque actus, quæ est gratia per modum transeuntis, et auxiliantis: an vero singuli actus exigant gratiam specialem non determinaverunt patres contra Pelagium.

XVV. Denique quando dicunt Concilia, nos ex nostro non habere nisi peccatum, legitimus sensus est, quod actio quæ initium habet ex nobis non potest esse nisi peccatum, id enim designat illa particula de nostro, id est, initiata, et orta ex nobis; hoc enim intendebat Concilium Arausicanum contra Semipelagianos, quod initium boni operis nunquam est a nobis, sed a Deo excitante, et movente; quando vero de nostro est, ita quod non incipit a

Deo, nec ad ipsum reducitur ut ad primum principium, peccatum est: ut autem reducatur ad Deum non semper requirit speciale auxilium, nam etiam concursus generalis incipit a Deo, qui sensus sumitur ex Augustino tractatu tertio super Joannem, unde illud desumpsit Concilium

VXVI. Ad auctoritates quæ loquuntur de victoria tentationum, quæ solum habetur per gratiam respondetur, quod loquuntur patres de victoria tentationum, quæ fit cum profectu spirituali, atque adeo conducente ad salutem: vel loquuntur de auxilio generali requisito ad quamcumque tentationem etiam levem, sicut ad opus bonum: vel tertio de victoria perfecta, quæ ita vincit tentationem, ut etiam perducatur ad veram justificationem, et perfecte liberet a peccato. Quæ explicationes sumuntur ex Augustino dicente lib. xxi de civitate, capite xvi: « Tunc itaque victa deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur. » Et libro de perfectione justitiæ, cap. xx dicit Deum esse adiutorem ad gerendam, perficiendamque justitiam, propter quod dicitur: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* Loquuntur ergo patres de victoria tentationum non absolute, sed ut pertinet ad perficiendam justitiam.

XXVII. Ad rationem pro patre Vazquez allatam respondetur, quod non semper est gratia specialis, quod tentatio occurrens non sit gravis, sed pertinet ad providentiam generalem, et cursum ordinarium, quod nec semper occurrat tentatio levis, nec semper gravis, et quod diabolus non semper tentare permittatur: imo ut recte observat Cajetanus hic articulo secundo tentationes dæmonum exeunt limites naturalium impedimentorum, quia superant naturam hominis, unde non pertinent ad naturalem ordinem per

se istæ tentationes. Nec assentimur cardinalis Bellarmino libro v de gratia, cap. vii, quem sequitur doctor Montesinos hic quæst. v et ii, qui licet existiment ad vincendam quamlibet tentationem levem non requiri gratiam Dei internam, requiri tamen externam, et scilicet protectionem, et providentiam Dei specialem removens occasionem peccandi, et prohibentem dæmonem ne tentet quantum vellet: et hoc modo conformamur cum locutione patrum requirentium auxilium Dei ad vincendas tentationes. Imo et Augustinus secundo confessionum, cap. vii absolute dicit Deo: « Tuæ gratiæ deputo, et quæcumque non feci mala: » pendet ergo remotio peccati eujuscumque a Deo. Sed restabat probare istis auctoribus quod ista providentia, et protectio extrinseca ut tentatio non sit gravis semper sit specialis, et indebita, ita quod juxta cursum ordinarium non possit aliquando occurrere tentatio levis, sed semper causarum dispositio sit inclinata ad tentationem gravem, ita ut oporteat extraordinaria protectione uti contra illam, imo cum Augustinus loco supra citato ad Simplicianum, fateatur ante electionem ad gratiam inveniri in natura, vel majus ingenium, vel minora peccata, plane deducitur quod sine speciali gratia potest aliquis minus incidere in peccata, et consequenter stando intra limites naturæ non semper occurrunt tentationes graves, quæ vincant, et trahant ad peccata. Quod vero dicit Augustinus gratiæ Dei deputare peccata quæ non fecit, verissimum est, loquendo de gratia, ut abstrahit a speciali et generali, aliquando enim speciali gratiæ deputandum est, quod homo non peccet, scilicet in tentatione graviore, aliquando vero gratiæ generali, quando non ita urget tentatio.

XXVIII. Ad replicam hujus argumenti ex D. Prospero respondetur, ibi non loqui de tentationibus levibus absolute, sed de levioribus comparative ad tentationem Job. Et arguit Casianum D. Prosper, quod voluerit Deum tantum esse spectatorem, non vero cooperatorem victoriae tentationum Job, ut ex hoc inferatur in causis levioribus multo fortiolem esse voluntatem, ac proinde gratiam solum dari ad facilius, non vero ad simpliciter faciendum bonum, quæ doctrina non militat contra nostram sententiam, quia in omnibus ponimus Deum cooperatorem, atque adeo dantem initium boni operis, etiam minimi, sed non semper per gratiam specialem, quæ tamen gratia specialis requiritur si illud opus est conducens ad salutem. Unde ad consequentiam argumenti, possumus aliquid legis facere sine gratia, ergo non datur gratia ad simpliciter implendam legem, sed ad facilius respondetur, quod respectu eorum, quæ conducunt ad salutem nihil potest fieri legis sine gratia speciali, nec facile, nec simpliciter, et de tali opere ut conducente ab salutem loquitur S. Prosper et Augustinus contra Semipelagianos. Respectu vero eorum operum, quæ non conducunt ad salutem potest fieri aliquid legis sine gratia speciali, non tamen sine concursu generali, qui non ad facile, sed ad simpliciter requiritur. Specialis autem gratia nec ad simpliciter requiritur ad aliquod opus legis, quod non conducit ad salutem; ad totam autem legem requiritur simpliciter, et non solum ad facilius.

XXIX. Ad ultimum respondetur, quod Christus est mortuus pro victoria omnis tentationis ut conducit ad salutem, et ad redemptionem, non autem ut non conducit. Similiter per solam gratiam liberamur a tyrannide diaboli, id est, a peccato,

et ab eo in quo habet captivum liberum arbitrium, sed quia non est extinctum omnino, sed ad aliquid valet, pro eo ad quod valet non indiget liberari a tyrannide diaboli. Nec denique possumus gloriari in aliqua victoria tentationis, quia ad omnem victoriam requiritur saltem auxilium generale, qua ratione verificatur in omnibus illud Apostoli: *Quid habes quod non accepisti?* scilicet per gratiam specialem, vel generalem.

ARTICULUS IV.

Utrum dilectio Dei super omnia, victoria gravis tentationis, et alia opera difficilia virtutum indigeant speciali gratia Dei?

I. Supponimus dari dilectionem Dei naturalis ordinis, quia etiam in puris naturalibus Deus est finis ultimus omnium nostrarum actionum, et rerum; ergo diligibilis super omnia. Consequentia patet, quia non stat Deum diligere ut finem omnium, nisi omnia subordinentur ei: ergo diligibilis est super omnia quorum est finis. Antecedens patet, quia dilectio Dei super omnia est præceptum legis naturalis, utpote primum præceptorum decalogi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Præcepta autem legis naturalis, et decalogi sunt ordinis naturalis, præcipue istud de diligendo Deo, ut tradit D. Thomas 1-2, quæst. c, articulo III. Lex autem naturalis non extinguitur per peccatum, nec datur per gratiam, quia naturaliter imprimitur, et imbibitur etiam in natura pura, et nuda; ergo est possibilis dilectio Dei super omnia, et tamquam finis ultimi in ordine naturali, et secundum legem naturalem. Non modo disputo an iste amor pure naturalis sit vere amor, sed late disputabimus 2-2, quæst. XXIII,

disp. I, articulo II, contra Vazquez disp. cxc, cap. II, qui negat illum amorem Dei auctoris naturalis, esse amorem amicitiae, et in hoc præcipue stat ejus sententia: non tamen negat talem amorem Dei naturalem dari, sed negat illum esse amorem amicitiae.

II. Hoc ergo supposito præsens difficultas reducitur ad duo puncta. Primum est, ut videamus quomodo sit simpliciter impossibile ista opera difficilia facere, et quæ vires ad hoc deficiant pro statu naturæ lapsæ: secundum est, quo auxilio indigeat homo ad illa efficienda, an supernaturali, et sanante; an naturalis ordinis quod sit speciale, sed non sanans.

III. Circa primum occurrit difficultas, quia ista opera non sunt impossibilia pro hoc statu; ergo simpliciter non indigent auxilio speciali, sed sufficit auxilium proportionatum ad vires naturales, quod est auxilium generale, licet enim difficile sit tale opus, non est tamen impossibile. Antecedens probatur, quia natura in statu peccati, et in plura natura nihil amisit de potentia physica libertatis: ergo objectum quod de se est proportionatum inclinationi naturali, etiam post peccatum, mansit proportionatum eidem, intra sphaeram activitatis ejus: non ergo ex parte libertatis deest potentia ad talia opera faciendo. Nec etiam est impotentia moralis, quia impotentia moralis sumitur ex impedimentis extrinsecis, et tentationibus occurrentibus, vel ex defectu proportionis objecti, et excitationis ad bonum; sed tentationes, et impedimenta non semper occurrunt; ergo saltem pro aliquo brevi tempore poterit homo manere expeditus moraliter ad talia opera; excitatio autem divina non semper deest; tum, quia si objectum est proportionatum, connaturale est

quod aliquando excitetur ad illud; tum, quia de facto quando promulgatur lex naturalis, proponitur præceptum de diligendo Deum super omnia, cum sit primum præceptum naturale; ergo sicut non deest promulgatio legis naturalis juxta cursum ordinarium, ita neque excitatio ad diligendum Deum, quia excitatio est propositio objecti.

IV. Secundo, quia voluntas non est necessitata, neque indifferentia judicii sublata in ordine ad graves tentationes, et difficilia opera; ergo habet potestatem ad non consentiendum illis, saltem suspendendo actum, et per puram omissionem: neque est indebitum ut bonum naturale proponatur sibi cum tanta efficacia, sicut objectum tentationis vehementis, tunc enim habebit vires sufficientes ad resistendum tentationi gravi ex objecto bono efficaciter proposito.

V. Denique datur præceptum de diligendo Deo, si quidem est præceptum naturale, et similiter de aliis operibus difficilibus virtutis; ergo simpliciter est possibile inter limites naturæ ea adimplere, aliquin inter limites naturæ non obligarent illa præcepta, si non esset possibile illa adimplere: imo si non posset habere absolutum actum amoris Dei; ergo solum posset habere conditionatum, quod est quasi velleitas; ergo non posset ex amore Dei moveri naturaliter ad aliquod opus bonum, quia voluntas non movetur ex velleitate boni, sed ex intentione absoluta finis. Confirmatur, quia Concilia et patres non obligant nos ad intelligendum, quod est necessaria gratia ad amandum Deum super omnia, et tentationes graves vincendas, nisi prout conducunt ad salutem; ergo intra limites puræ naturæ non est ratio cur non possit voluntas illa opera facere sine gratia. Instatur etiam ex S. Thoma in II, dis-